

05 A 432

05
A
432





Controversiarum Theologicarum

CENTURIA,

Pontificiis, imprimis Bellarmi-
no, opposita,

Quam

Altissimo adjuvante,

SUB PRÆSIDIO

*Viri plurimum Reverendi, Clarissimi atq[ue]
Excellentissimi,*

D N. WILHELMI LYSERI,

Sacrofanct. Theol. Doct. & Prof. publ. celeberrimi,
Præceptoris, Inspectoris & Promotoris sui
summè observandi

Publicæ ventilationi subjicit

M. MARTINUS CASELIUS, Bergwicens.
Alumn. Elect. Sax.

In Auditorio majori

D. II. April. Horis à 7. matut.



VVITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typogr. AMBROSII ROTH I, Acad. Typogr^o
ANNO M DC XXXIII.



*Generoso, Magnificis, admodum Reverendis,
Nobilissimis, Amplissimis & Consultissimis*

V I R I S,

**Dn. PRÆSIDI, CONSILIARIIS,
& ASSESSORIBUS**

**Ecclesiastici in Electoratu Saxonico Pro-
tosynedrii,**

*Dominis Patronis, Mecenatibus magnis &
Promotoribus summis, summè colendis,*

Hanc Centuriam Controversiarum
Theologicarum

*in sui Commendationem
submisit atq;
humiliter*

offert.

M. Martinus Casselius,
Autor & Respondens.



05 A 432



Prooemium.

Controversiarum Theologicarum Centuriam Pontificiis, imprimis Bellarmino, oppositam, publico Eruditorum examini subjecturi ardentibus DEUM ter. opt. max. veneramur suspiriis, sanctissimi Spiritus lumine cæcitatem mentis nostræ dispellat, quò omnem falsitatem fugiamus, & veritatem in sacrosanctâ scriptura manifestatam unicè defendamus ad nominis divini gloriam & nostram atque totius Ecclesiæ emolumentum. Sit ergò bono cum DEO

Controversia prima

Pontificii errant

Illos libros V. T. quos Orthodoxi Apocryphos vocant, pro Canonici habendo. Contra illi libri post Prophetarum seculum editi. at nos exstructi sumus super fundamentum Prophetarum Eph 2. 20. 2. à Judæis nunquam recepti, ut ex Josepho l. I. contra Appionem constat, & ipse Bellarm. l. i. de V. D. c. 10. cum B. Hieronymo fatetur. 3. à primitivâ Ecclesiâ pro Apocryphis habiti, ut ex Synodo Laodicensâ constat.

In Articulo de scripturâ.
Conc. Trid.
& Bell. l. 1. de V. D. c. 7.

§. 2. Vulgatam editionem pro Authenticâ obtrudendo. Contra: 1. Habet authores homines, & inter eos Theodotium hæreticum, teste Bell. l. 2. de V. D. c. 11. at hi errare possunt, & ipse Hier. in c. 19. Esa. fatetur se errasse. 2. ab ipsâ potest recurri ad alium textum, sc. Hebræum in V. & Græcum in N. T. ut volunt S. Patres & quatuor casibus concedit ipse Bell. l. c. quod etiam sæpè facit. at rivuli non sunt fontes, nec normatum norma est. 3. in multis locis à fontibus recedit, ut jamdudum ex nostratibus B. Chemnitius & alii monstrarunt.

Conc. Tr. & Bell. l. 2. c. 10.

*Costerus &
alii commu-
niter.*

§. 3. Lectionem S. scripturæ laicis prohibendo. Contra: 1. obstant exempla Berthoenfium Act. 17. 11. Timothei 2. Tim. c. 3. 15. & Eunuchi Act. 8. 28. qui omnes propter lectionem scripturæ commendantur. 2. Omnibus in genere Joh. 5. 39. & in specie fratribus epulonis Luc. 16. 29. & regibus Deut. 17. 19. scripturæ lectio injungitur. 3. Beati sunt, qui scrutantur in lege. Psal. 1. 2. 4. Apostoli Epistolas suas inscripserunt integris Ecclesiis, omnibus vocatis sanctis Rom. 1. 7. 1. Thef. 5. 27. 1. Cor. 1. 2. Gal. 1. 2. 1. Petr. 1. 2. patribus, puerulis & adolescentibus 1. Joh. 2. 13.

Bell. l. 2. c. 15.

§. 4. Translationes scripturæ in linguas vernaculas reprehendendo. Contra: 1. Apostoli Act. 2. 11. lingua cuiq; genti vernaculâ docuerunt verbum Dei. Si ergo linguæ vernaculæ usus scripturæ dignitatem in predicando non imminuit, quare in scribendo illi derogaret? 2. lex linguâ cognita toti Israeli jubebatur prælegi Deut. 31. 11. quod & factum 2. Par. 34. 30. 3. In primitivâ Ecclesia S. Biblia in plures linguas fuerunt translata, uti ipsi Pontificii fateri coguntur.

l. 3. c. 1.

§. 5. Obscuritatis scripturam accusando. Contra: Nos eandem ita perspicuam docemus, ut in ea omnes articuli fidei omnibus ad salutem necessarii, perspicuè satis sint positi. Id quod D. Petrus 2. Ep. 1. 19. & S. David Psal. 19. v. 8. 9. & Psal. 119. 105. testantur. Et qui non satis perspicuè omnes articuli fidei in eâ proponantur, cum vitam æternam ex ea consequi possimus? Joh. 5. 39. Luc. 16. 29.

l. 4. c. 3.

§. 6. Scripturam imperfectionis arguendo. Impiè! Lex enim Domini perfecta prædicatur Ps. 19. 8. quæ hominem ad omne opus bonum 2. Tim. 3. 16. 17. & ipsam vitam æternam consequendam Joh. 5. 39. c. 20. v. ult. Luc. 16. 29. instruere potest.

6. 12.

§. 7. Eandem totalem credendorum normam esse negando. At cum scriptura nos possit eruditos reddere ad salutem, & utilis sit ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est injustitiâ, ut integer fit homo Dei, ad omne opus bonum apparatus, 2. Tim. 3. v. 15. 16. 17. maxima est impietas eandem saltem partialem credendorum normam statuere. Alia fundamenta brevitatis gratiâ mitto.

§. 8. Tra-

§. 8. Traditiones ad scripturæ supplementum necessarias c. 3. & & pari pietatis affectu cum scripturis Canonicis suscipiendas esse nugando. At 1. scripturâ continet omnia ad salutem necessaria §. 6. & 7. 2. Traditiones Pontificiæ sunt contra scripturam. Nam Petrus à Soto in suo Catalago traditionibus annumerat Invocationem Sanctorum, cultum imaginum, orationem pro defunctis, primatum Pontificis & similia, quæ cum scripturâ pugnant. 3. Ipsi Pontifici hodiè non recipiunt vel observant omnes Traditiones, quas Veteres ab Apostolis acceptas in suis libris recitant. 4. Ipse Spiritus S. ab illis nobis cavendum esse monet Gal. 1. 8. Col. 2. 8. 2. Thes. 2. v. 2. Matth. 16. 6.

§. 9. Scripturæ judicarias partes detrahendo. At Christus ipse Moſen, hoc est, doctrinam Moſis inter se & Judæos judicem constituit Joh. 5. 45. & sermo Dei judicabit homines in novissimo die c. 12. 48. l. 3. c. 9.

§. 10. Spiritum S. in scripturis loquentem summum esse Controversiarum judicem inficiando. Malè! Est enim contra expressa scripturæ dicta 2. Pet. 1. 21. Joh. 14. 16. c. 16. 13. & Apostolorum in Concilio congregatorum factum Act. 15. 28. Gretſerus in Colloq. Ratisb.

§. 11. Dogma de S. S. Trinitate & Homousia ἀγροφον dicendo. Vega in oppugnatione Dei Samosatensiani, Impie! Utrumq; enim tum in aliis scripturæ locis, tum 1. Joh. 5. 7. habetur. De S. S. Trinitate.

§. 12. Divinam majestatem & gloriam humanæ Christi naturæ propter unionem personalem communicatam esse negando. Contra: Christo secundum humanam Naturam data est gloria æterna Johan. 17. 5. πάντα ἐξουσία in cælo & in terrâ Matth. 28. 18. nomen super omne nomen Phil. 2. 9. Spiritus non ad mensuram Joh. 3. v. 34. potestas faciendi judicium Joh. 5. 27. majestas cultus divini Heb. 1. 6. omnipræsentia Eph. 4. 10. De Christo. Bell. 1. 3. de Incar. c. 1.

§. 13. Humanam Christi Naturam super omnes cælos exaltatam nusquam nisi in cælo & sacramento præsentem fingendo. Contra manifesta Scripturæ dicta Matth. 18. 20. c. 28. 20. Psal. 110. 1. 2. Eph. 4. 10. c. 15.

A. 33

§. 14. Alios

- 1.1. de sanct.
beat. c. 20. §. 14. Alios præter Christum Mediatōres inter DEUM & ho-
mines fingendo. At unus est Mediator DEI & hominum, ho-
mo JESUS CHRISTUS I. Tim. 2, 5. 6.
- 1.5. de Christ.
c. 1. §. 15. Christo tantum secundum humanam naturam partes
Mediatoris adscribendo. At secundum concilium Chalced.
in Apotelesmatibus officii utraq; natura operatur cum com-
municatione alterius. Et in hoc apparuit Filius DEI, ut dissolvat
opera Diaboli I. Joh. 3. 8.
- c. 9. §. 16. Christum obedientiã atque passione sua sibi gloriam
& nominis exaltationem promeruisse docendo. At Christus
nomen super omne nomen per κληρονομίαν habet Heb. 1. 4. &
ideò legi obediens factus est, ut eos, qui sub lege erant redime-
ret Gal. 4. 5.
- 1.4. de justif.
c. 3. § 4. §. 17. Novum ex Christo legislatorem faciendo. Malè!
Nam Christus in primo suo adventu non est missus, ut con-
demnaret mundum sed unã servaret. Joh. 3. v. 19. & in hoc ipso
Christus & Moses distinguntur Joh. 1. 17.
- 1.4. de an.
Chr. c. 2. §. 18. Scientiam habitualem & alia hujusmodi dona,
quibus natura Christi humana fuit imbuta incrementa acce-
cepisse negando. Ineptè. Jesus enim proficiebat (non tan-
tùm secundum opinionem hominum, ut vult Bellarm. sed re-
verã, ut ætatis vox innuit) sapientiã, & ætate & gratiã apud
DEUM & homines. Luc. 5. 52. c. 1. 80. c. 2. 40.
- c. 8. §. 19. Christum in passione infernales cruciatus sustinuis-
se, & iram Dei verè sensisse inficiando. Sed si hoc verum est,
non pertulit verè peccata nostra, cum ira Dei, & pœnæ infer-
nales sint necessarium consequens peccatorum. 2. quorsum
diceretur maledictum Gal. 3. 13. & se à Deo derelictum, & non
exaudiri Matth. c. 27. 46. Psal. 22. v. 5. 6. 7. conquereretur?
- De Anti-
christo
Bell. 1. 3. de
Pont. c. 2.
1. 3. c. 1. seqq. §. 20. Antichristum unum quendam & singularem fore
hominem fingendo. Cujus vanitas ex collatione 2. Thef. 2. v.
6. & I. Tim. 4. v. 1. 2. 3. qui locus priorem explicat & de mul-
tis agit, manifesta est.
- §. 21. Pontificem R. magnum illum Antichristum esse ne-
gando. Sed qui non sit Antichristus, cui omnes notæ illius
conve-

conveniunt? Nam 1. est homo peccati (2. Thes. 2. 4.) Pontifices enim R. non tantum ipsi maxima commiserunt peccata, ut sunt Sodomia, incestus, fornicatio, avaritia inexplebilis, fastus intolerabilis, latrocinia, mendacia, perfidia, magia, ut historiae testantur; sed etiam toti mundo ad hæc & similia facinora latissimas aperuerunt januas, Concubinatum approbando, lupinaria & scortationem concedendo, continentiae dono carentes impossibili castitatis perpetuo voto adstringendo, matrimonium clericis prohibendo, idololatriam præcipiendo, delictorum veniam pecuniâ vendendo, adeoque licentiam porro peccandi per indulgentias concedendo. Quis homo peccati vocari potest, si Papæ hic titulus tribui nequit? 2. Est Filius perditionis (ibidem) Ecclesiam enim Orthodoxam miris modis persequitur; & innumeras animas secum in gehennam ducit. 3. Est ἀντιθέμενος, sese efferens adversus omnem qui dicitur DEUS, aut numen. (ibidem) Quod facit decreta sua Dei præceptis præponendo, in gradibus à DEO prohibitis dispensando, lectionem scripturæ laicis, unâ cum calice, contra mandatum divinum surripiendo, DEO proximum, super omnes Reges & Imperatores, sese collocando, atque hæc omnia sub specie vicarii Christi, successoris Petri, Ecclesiæ Sponsi, & universalis capitis atque Episcopi. 4. Sedet in templo DEI (ibid.) h. e. in Ecclesiâ Christi, quam tamen persequitur. Nam licet Papatus nō sit vera Ecclesia, in Papatu tamen vera Ecclesia omnino adhuc invenitur, cum multi sint, in medio Papatu, qui hujus seductoris vocem non audiunt. 5. Ostentat seipsum tanquam DEUM (ibidē) Patitur n. sibi divinos tribui titulos. Ipsius enim assentatores dicunt, quod Papa habeat idem consistorium cum DEO, & idem tribunal cum Christo, quod sit quoddam numen, v. sibilem DEUM præ se ferens, quod se habeat in Ecclesia, ut sol in planetis; quod habeat omnia jura in scrinio pectoris, etiam si sit idiota & immemor sui; quod sit omnium Princeps & Rex Regum & causa omnium in Ecclesia militantium; quod ipsi omnis humana creatura sub sit, cui omnes etiam Patriarchæ Ecclesiarum subesse debeant sub necessitate salutis;

salutis; quòd ipsi tradita sit omnis potestas in cœlo & in terra,
quod errare nequeat; quòd sit supra concilia; quòd omnia
concilia pendeant ab authoritate Papæ; quòd solus sine con-
cilio possit remove imperatorem; quòd sit omnium Chri-
stianorum caput & Pater; quòd possit aliquid ex nihilo facere;
quòd ei nemo debeat dicere, cur ita facis; quòd Papa possit
facere omnia, quæ DEUS facit; quòd ejus major sit potestas
quàm Mosis; quòd authoritate & potestate maior sit angelo,
quòd formam sacramentorum ab Apostolis traditam possit im-
mutare, quòd possit statuere contra Epistolas Pauli & sit major
Paulo, par autem Petro in administratione, quod ipsi nullus
par sit, nisi DEUS; quòd ipsi omnia liceant; quòd DEUS ipsi o-
mnia subjecerit juxta illud: Omnia subjecisti sub pedibus ejus.
Et quæ sunt absurda, impia & blasphema alia. Videatur Re-
cusatio Concilii Trident. ab Imperii Statibus instituta pag. 279.
& seqq, ubi nominatim horum absurdorum dogmatum defen-
sores adducuntur. 6. Prohibet nubere abstinendo à cibis,
quæ est nota Antichristi à D. Paulo 2. Tim. 4. 3. posita. 7. Ne-
gat Jesum esse Christum (1. Joh. 4. 3.) cum derogat honorem
ipsi soli debitum, & sibi sanctorumq; suorum Canonizato-
rum meritis illud adscribat. 8. Plenus est nominibus bla-
sphemiarum. Apoc. 7. 3. cujusmodi appellationes sunt, Dominus
DEUS noster Papa, Sponsus Ecclesiæ, Vicarius Christi, Domi-
nus dominantium, Rex Regum, Successor Petri, Infallibilis
controversiarum Judex, Ecclesiæ caput & fundamentum, qui
tituli passim in Jure Canonico & apud alios autores Papæ tri-
buuntur. Vid. lib. cit. 9. Ebrius est sanguine sanctorum
martyrum Ap. 17. 6. quos per Germaniam, Galliam, Belgium,
Hispaniam, Italiam & totum orbem terrarum persecutus est,
ut ex Martyrologiâ constat. 10. Cum eo fornicati sunt reges
terræ Ap. 17. 2. Et II. sedet in urbe septicolli & imperiali Ap.
17. 9. 18. hoc est. Roma, juxta illud Poetæ:

Septem urbs alta jugis, toti que presidet orbi

§. 22. Antichristum jamdum venisse inficiando. Cujus falsi-
tas ex dictis constat.

§. 23. Sc-

C. 4.

§. 23. Sedem Antichristi Hierosolymam & templum Salomonis faciendo: at 1. templum Salomonis jam pridem est destructum, ejusq; desolatio ad finem usque mundi durabit Dan. 9. 29. Matth. 23. 38. 2. Sedes Antichristi erit septicolles & Domina orbis terrarum Apoc. 7. 9. 18. quæ descriptio non convenit Hierosolymæ, sed Romæ.

c. 18.

§. 24. D. Petrum à Christo Ecclesiæ fundamentum constitutum esse nugando. Malè! Non enim super Petro, sed solo Christo 1. Cor. 3. 11. fundata est Ecclesia & contra fundamentum Ecclesiæ portæ inferorum prævalere nequeunt Matth. 16. 18.

De Ecclesia
& ejus cap.
l. 1. c. 10. &

11.

§. 25. Solum Petro Ecclesiæ claves datas esse mentiendo. Contra: Matth. 18. 18. & Joh. 20. 23. eadem omnibus promittuntur & exhibentur. Matthæi verò c. 16. 19. non solum Petro dantur, sed Apostoli omnes interrogati respondent per Petrum, non tanquam per Principem, sed honorandum collegam, ut etiam S. August. serm. 13. de verb. Dom. & D. Hier. in c. 16. Matth. explicant.

c. 12.

§. 26. D. Petrum totius Ecclesiæ Monarcham & omnium Apostolorum principem constituendo. At Petrus mittitur ab Apostolis Act. 8. 14. nec agrè fert sibi à D. Paulo resisti Gal. 2. 11. 14. sed potius Cæteris Apostolis dextram societatis præbet Gal. 2. 9. quæ Monarchæ respectu subditorum non conveniunt. Unde etiam D. Paulus se nihilo inferiorem esse reliquis aperte scribit 2. Cor. 11. 5. & c. 12. 11.

c. 10.

§. 27. Ecclesiam in hoc mundo uno summo & universali Episcopo ac principe administrandam esse fingendo, sed hoc dogma est contra expressum Christi Matth. c. 20. 25. & D. Petri 1. Ep. 5. 2. 3. itemque Concilii Carthag. can. 26. quod Papa approbavit, prohibitum.

c. 9.

§. 28. Omnes partes in regimine Ecclesiastico principibus Christianis subtrahendo. Nos verò in contrarium allegare possumus non tantum piorum principum & ducum Josuæ c. 3. c. 8. 30. Davidis 1. Par. 16. 26. seqq. Josaphati 2. Par. 19. 10. seqq. Josuæ c. 34. 3. seqq. Ezechiae c. 29 3. seqq. c. 30. v. 1. seqq. & aliorum exempla, sed etiam manifesta scriptura dictæ Deut. 17. 12. Es. 49. 23.

c. 7.

B

6. 29. Di.

l. 1. de Cier.
c. 14.

§. 29. Discrimen inter Episcopum & Presbyterum, quasi de jure divino sit; introducendo. Sed contrarium ex collatione Act. 20. v. 17. 28. 1. Pet. 5. v. 1. 2. & Tit. 1. v. 5. & 7. apparet.

l. 5. de P. R.
c. 9.

§. 30. Episcopos etiam seculares principes esse posse pugnando. Sed falsitas hujus dogmatis ex interdicto Christi Luc. 22. 25. & D. Petri 1. Ep. 5. 3. manifesta est.

c. 12.

§. 31. Pontificem Romanum Petri successorem fingendo. At neque in doctrina, neque in vita ipsi succedit. Non in illa, quia secundum Petri doctrinam scriptura est perspicua & firma 2. Pet. 1. 9. in solo Christo nostra salus fixa Act. 4. 12. verbum Dei, non traditiones hominum in Ecclesia docendum 1. Pet. 4. 11. lex est jugum importabile & non impletu facile Act. 25. 10. regnum Dei non paratur pecunia Act. 8. 20. cultus simulachrorum illicitus 1. Pet. 4. 3. quibus omnibus contrarium Papa & ejus a seclæ docent. Neq; in vita, ut ex §. 21. constat, & rectè D. Bernhardus Eugenium suum discipulum monet.

l. 4. c. 30.

§. 32. Eidem summam & infallibilem scripturam interpretandi deq; controversis fidei in Ecclesia judicandi auctoritatem tribuendo. At 1. errare potest teste Ambr. Catharino in Com. Gal. 2. & 2. sæpius erravit & falsa definiit, ut jam dudum Nostrates monstrarunt. Imò 3. hæreticus fieri potest, ut patet ex c. si Papa dist. 40. quod etiam ipse Bell. l. 2. de Pontif. c. 30. & alii concedunt. Et 4. etiam ut Pontifex potest esse hæreticus & docere hæresin si absq; generali concilio doceat (quod de facto aliquando accidit ut Nilus, quem sequuti sunt aliquos Parisienses Gerson, Almain & Alphonsus de Castro, item Adrianus VI. Papa docuerunt, ipso Bell. teste l. 4. de Pont. c. 21.

l. 2. c. 26.

§. 33. Eundem ab omni hominum judicio eximendo. Ineptè. Nam & ipsi Apostoli, ut Petrus Pauli Gal. 2. 11. & Paulus Cæsaris Act. 25. 10. judicio se submiserunt.

l. 5. c. 6.

§. 34. Ipsi summam in temporalibus potestatem attribuendo. At qui hoc verum esse potest, cum nec Christus in hoc mundo, nec ullus Apostolorum usurparit, vel in Papam contulerit?

§. 35. Ca-

§. 35. Catechumenos extra Ecclesiam ponendo. At D. Am- *l. 3. de Eccl.*
brofius in Orat. de obitu Valentiniani & ipse Bellarm. docent, *mil. c. 3.*
quòd salventur; sunt ergò de Ecclesiâ, cum extra Ecclesiam,
arcâ Noachi præfiguratam, salus non obtingat, ut rectè Con-
cil. Lateranense docet. Unde 1. Cor. 5. 12. illi, qui sunt extra
Ecclesiam, foris esse dicuntur.

§. 36. Omnes excommunicatos extra Ecclesiam ponendo. *c. 6.*
Quod quidem verum est de iis, qui justè excommunicantur &
non redeunt verâ pœnitentia ad navim Ecclesiæ; secundum
sensum autem Pontificiorum est falsissimum, cum multi ab i-
psis injustè sint excommunicati.

§. 37. Impios peccatores Ecclesiæ veræ membra vocando. *c. 9.*
At impii non sunt oves Christi, cum ejus vocem non audiant
Joh. 10. v. 1. 16. 27. quomodo ergò ad ovile Christi pertinebunt?

§. 38. Distinctionem Ecclesiæ invisibilem & invisibilem *c. 12.*
rejiciendo. Malè! Nam Ecclesiam invisibilem dari vel ex u-
nico Eliæ tempore patet 1. Reg. 19. 14.

§. 39. Ecclesiam semper gloriosam, hoc est, frequentem & *c. 13.*
illustrem hominum cætum asserendo: & contra eandem se-
cundum externum splendorem, gloriam & frequentiam defi-
cere posse inficiando. Sed oppositum evincunt tempora V. T.
utpote Eliæ 1. Reg. 19. v. 10. Jeremiæ c. 2. 29. c. 5. 1. Esaia c. 1. 5.
6. & aliorum, itemque Prophetia N. Test. quæ Apoc. 12. 6.
extat.

§. 40. Felicitatem temporalem inter veras Ecclesiæ notas *l. 4. c. 18.*
numerando. At impii sæpè feliciores Jerem. 12. 1. Psal. 73. 3.
Unde Ecclesia mulieri in desertum fugienti. Apoc. 12. 6. a-
liisque rebus infortunia patientibus in scriptura compa-
ratur

§. 41. Ordinem Ecclesiasticum Sacramentum propriè di- *de Ministe-*
ctum faciendo. Sed cum careat elemento ad sacramentum *rio.*
necessario, juxta illud Augustin: Accedat verbum ad ele- *l. de Sacram.*
mentum & fit sacramentum, utique sacramentum propriè *ord. c. 2.*
dictum non erit.

l. 1. de Cler.

c. 4. 7.

§. 43. Jus vocandi solis Episcopis adscribendo. Contrarium verò patet ex praxi Apostolicæ Ecclesiæ, & in specie ex Electione Matthæi Act. 1. 15. diaconorum c. 6. 3. seqq. presbyterorum Ecclesiæ Antiochena, Lystrensis & Iconiensis Act. 14. 23. qui omnes auctoritate & consensu totius Ecclesiæ vocati sunt, cujus etiam ministri fuerunt.

c. 19. §. 23.

§. 44. Ministris Ecclesiæ conjugium prohibendo, & illos qui post primæ uxoris obitum aliam ducunt ad sacros ordines non admittendo. Id quod contra expressum Apostoli mandatum 1. Cor. 7. 2. & 9.

c. 13.

§. 45. Sacrificare esse partem officii Ecclesiastici etiam in N. T. tradendo. Contrarium asserit Apostolus Heb. 7. ver. 23. 24. 27.

l. de monach.

c. 22.

§. 46. Continentiæ perpetuæ Votum omnibus monasteria ingredientibus indifferenter injungendo. At continentia est peculiare Dei donum Matth. 19. 11. & 1. Cor. 7. 7. Unde etiam juniores nubere ipse vult Apostolus 1. Tim. 5. 14.

De Concil.

*l. 1. de Concil.
c. 15.*

§. 47. Solis Episcopis & prælatis majoribus in Conciliis sententias concedendo. At in Concilio Apostolorum etiam laici sententiam dicebant, ut ex Act. 15. v. 12. 22. & 23. patet, & in Conc. Nic. teste Ruffino & Sozomeno, laicorum quidam Sophistam ita refutavit, ut se victum ultrò fateretur. Et quid nisi cum ipse Christus Ecclesiæ Matth. 18. 17. sub qua etiam Laici comprehenduntur 1. Cor. 5. 4. controversias decidere, mandaverit.

c. 18.

§. 48. In Conciliis semper secundum pluralitatem suffragiorum pronuntiandum esse censendo. Ineptè! Accidere enim potest, & sæpè accidit, ut maxima pars erret. Sic tempore grassantis Arianismi vix quinque supererant Episcopi rectè sentientes. Et contra Christum maxima Judæorum pars falsa pronuntiabat.

c. 2. 6. 2.

§. 49. Papæ præsentiam Concilia ab omni errore eximere statuendo. At cum ipse Papa possit fieri hæreticus, ut multi ex Pontif. concedunt, quàm plurimi etiam errores in Conciliis à Papa confirmatis sint firmati, hæc sententia subsistere nō potest.

§. 50.

§. 50. Pontificem supra Concilium ponendo. Sed hoc Bel-
sardini & nonnullorum effatum est contra praxin & doctri-
nam aliorum. Nam in Concilio Constantiensi Johannes XXIII.
judicatus est, & Theologi Parisienses, plerique Constantien-
ses ac Basilienses contrarium docent.

e. 17.

§. 51. Angelis divinum cultum tribuendo. Id quod est con-
tra expressum DEI Deut. 6. 13. c. 10. 21. Matth. c. 4. 10. & ipso-
rum Angelorum mandatum Ap. 19. v. 10. c. 22. 9.

De Angelis
l. 1. de sanct.
beat. c. 19.

§. 52. Sanctos in caelis viventes speciatim nosse ea, quae hic
in terris ab hominibus fiunt, fingendo. Quod dogma falsum
esse ex Es. 63. 16. & 2. Reg. 22. 20. patet.

de Sanctis.
Costerus in
Enchir.

§. 53. Eisdem terrena haec administrare & fideles viventes
regere, speciatimque pro nobis orare docendo. Cujus vanitas ex
§. preced. constat.

Bellar. l. 1. de
Sanct. beat.
c. 18.

§. 54. Eisdem pie atque utiliter a viventibus invocari nu-
gando. An vero pie atque utiliter id fieri potest, quod in scri-
ptura expressè prohibetur. vid. §. 51.

c. 19.

§. 55. Ipsorum ossa in loco edito collocata & variè ornata,
una cum imaginibus religioso cultu venerando. At singulare
est beneficium, quod ossa sanctorum requiescant in cubili-
suo 2. Reg. 22. 20. Es. 56. v. ult. & Ex. 20. 5. expressè cultura
imaginum prohibetur.

l. 2. c. 3. C. 12.

§. 56. Spectrum, quod Pythonissa suscitasse legitur, pro
Samuelis animâ habendo: 1. Sam. 28. At 1. mentitur v. 19. 2. pa-
titur se adorari v. 14. quae animae justae Samuelis non conveni-
unt. 3. quomodo Saul, qui in viventibus Dei Prophetis, nec
ullo alio, responsum meruit v. 6. resuscitatum morte Prophe-
tam meruit? quibus argumentis etiam S. August. concludit,
non animam Samuelis, sed spectrum diaboli fuisse, qui se in
Angelum lucis transferre potest.

l. 2. de purg.
c. 6. C. 1. 4.
de Christ. cau.

§. 57. Animas Sanctorum in V. T. in limbo fuisse fingendo.
At contra Matth. 22. 32. Abraham, Isaac & Jacob dicuntur vi-
xisse, beatâ scil. & caelesti vitâ. Et qui credit in Filium Dei ha-
bet vitam aeternam Joh. 3. v. 36. in judicium non venit, sed tran-
sit e morte in vitam. c. 5. 24. piorumque anima in manu Dei

l. 4. de Chri.
c. 11.

B. 3.

lunc

funt. Sap. 3. 1. & in sinum Abrahæ transponuntur, ubi consolatione fruuntur Luc. 16. 22. 25.

*l. 3. de purg.
c. 3.*

§. 58. Purgatorium fingendo. Contrà; qui non credit in Filium damnatur Joh. 3. 36. qui verò credit habet vitam æternam, juxta illud Christi Luc. 23. 43. Hodie mecum eris in paradiso, & Apoc. 14. 13. Beati amodo qui in Domino moriuntur. Confer §. præced.

l. 2. c. 15.

§. 59. Mortuorum animas viventium suffragiis juvari & è purgatorio liberari posse censendo. At qui jam æternam felicitate fruitur §. 57. 58. viventium suffragiis non indiget.

*de Imagine
Dei.*

*l. de gr. pr.
hom. c. 2.*

§. 60. Discrimen inter imaginem & similitudinem DEI constituendo, ita ut illa ad naturam, hæc ad virtutes pertineat. At 1. Perer. l. 4. in Gen. hoc discrimen rejicit. 2. scripturâ iis promiscuè utitur, ut constat ex Gen. 1. 26. 27. c. 5 1. c. 9. 6. Col. 3. 10. 3. imago in scripturâ non notat substantiam animæ, sed potius dona collata Coloss. 3. 10. 1. Cor. 15. 49.

c. 5.

§. 61. Naturam primi hominis cum rebellionem virium conditam esse blasphemando. Sed quomodo rebellio locum habere potest, ubi mera bonitas Gen. 1. 31. rectitudo Eccl. c. 7. 30. justitia & sanctitas Eph. 4. 24 ubi nullus erubescentiæ locus Gen. 2. 25?

Ib.

§. 62. Imaginem DEI adeoque justitiam Originalem donum DEI supernaturale in homine vocando. At supernaturalia naturaliter propagari nequeunt. Et nunc sumus naturâ filii iræ Eph. 2. 3. Ergò ibi gratiæ.

Ib.

§. 63. Mortem homini naturalem, etiam ante peccatum, fuisse statuendo. Impiè! Homo enim *ὡς ἀφ' ἁρτίας* est creatus Sap. 2. 23. & mors est pœna peccati Gen. 2. v. 17. Rom. 5. 12. 1. Cor. 15. 21.

de Peccato.

l. 1. de am. is.

gr. c. 1. &

l. 2. de gr. &

lib. arb. c. 7.

l. 3. de am. is.

gr. c. 7.

§. 64. Nihil esse peccatum propriè dictum nisi voluntarium docendo. At etiam in infantibus est peccatum Ps. 51. 7. Rom. 5. 14. & Apostolus testatur, se malum agere, quod non vult Rom. 7. 19.

§. 65. Adamum propriè seductum esse negando. Sed contrarium ex Gen. 3. 6. 12. & 17. apparet.

§. 66. Pec-

§. 66. Peccatum originis verè & propriè peccatum esse inficiando. At in sacris literis expressè peccatum dicitur, propter quod omnes homines morti sunt obnoxii Roman. 5. v. 12. *Ruardus, Tapperus, Pighius, An. dradius, &c.*

§. 67. B. virginem Mariam absque omni planè peccato fuisse pugnando. At omnes homines sunt peccatores Rom. 3. 9. c. 5. 12. 19. (excepto Christo) & pro omnibus Christus mortuus est 2. Cor. 5. 14. 18. Heb. 2. 9. *Conc. Basil. & Bell. l. 4. de am. gr. c. 15.*

§. 68. Peccata quædam suâ naturâ venialia statuendo. At qui in uno lapsus est omnium reus fit Jac. 2. 10. Et Rom. 6. v. ult. generaliter mors peccati stipendium vocatur. Et maledictus est qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis. Deut. 27. 26. Gal. 3. 10. *l. 1. c. 3. & 4.*

§. 69. Phrasin servi arbitrii, à B. Luthero usurpatam miris modis exagitando, at 1. à Divo Aug. adhibetur (cujus loca vid. apud Dn. D. Meif Anthrop. disp. 21. q. 2. pag. m. 7.) 2. In scripturâ fundatur Joh. 8. 34. Rom. 6. 19. *De lib. Arbitrio. l. 4. de gr. & lib. arb. c. 6.*

§. 70. Homini post lapsum constituto tale arbitrium tribuendo, quod ex se & propria facultate vel ante conversionem sese ad gratiam DEI præparare, vel in conversione gratiæ divinæ cooperari possit. Malè! Homo enim non-renatus, non habet aptitudinem boni aliquid cogitandi 2. Cor. 3. 5. (ὁ δὲ κενώσας) non percipit ea, quæ sunt Spiritus. Stultitia enim est illi, & non potest (ὁ δὲ κενώσας) intelligere, quia spiritualiter judicantur. 1. Cor. 2. 13. 14. sed in spiritualibus est planè mortuus Eph. 2. 5. c. 4. 18. Col. 2. 13. *Conc. Trid. s. 6.*

§. 71. Voluntatem hominis in conversione sese passivè habere negando. Cujus vanitas ex jam dictis §. præced. patet. *Bell. l. 6. de lib. arb. c. 9.*

§. 72. Dilectionem in hac vita ita perfectam esse posse statuendo, ut præcepto adimplendo sufficiat. Contrà: 1. si hoc verum est ex lege est justitia, quod negat Apostolus Gal. 2. 16. Rom. 3. 19. 20. 2. nemo potest reverâ gloriari de corde puro Prov. 20. 9. *De Lege. lib. 4. de just. sif. c. 11.*

§. 73. Ho-

c. 10. § 13.

§. 73. Hominem in hac vita non tantum legem perfectè implere, sed etiam plus facere posse, quam Deus in lege requirit, jactando. Impiè! Lex enim onus est, quod neque Patres, neque Apostoli ipsi portare potuerunt Act. 15. 10. Et in multis nos offendimus omnes. Jac. 3. 2. qui autem in uno offendit, factus est omnium reus c. 2. 10.

De Fide.

l. 1. c. 5.

§. 74. Fidem justificantem fiduciam esse negando. sed cur non sit? cum dicatur πληροφροσία Rom. 4. v. 21. Heb. 10. 22. Col 2. 2. παρρησία Eph. 3. 12. Heb. 2. 6. c. 4. 16. c. 10. 35. 1. Joh. 2. 28. c. 3. 21. c. 4. 17. c. 5. 14. πειθισις Eph. 3. 12. Phil. 3. 4.

l. 3. c. 3.

§. 75. Hominibus verè credentibus de gratiâ DEI & remissione peccatorum dubitandum esse docendo. At promissiones DEI sunt ναὶ καὶ ἀμήν 2. Cor. 1. v. 20. & omnes fideles concernunt Joh. 3. 16. & fides dubitationi opponitur Jac. 1. v. 6. Rom. 4. 20. Unde Johannes 1. Ep. c. 3. 14. ait: Nos scimus, quòd translati sumus de morte in vitam. Et omnes justificati pacem habent cum Deo Rom. 5. 1. 2.

l. 1. de bapt.

c. 11.

§. 76. Infantibus baptizatis propriam & actualem fidem denegando. Cur hoc? Verè enim credunt in Christum Matt. 18. 6. & salvantur Matth. 19. 14. quiautem non crediderit damnabitur Joh. 3. 18. Marc. 16. 16.

l. 1. c. 15.

§. 77. Dilectionem & alias virtutes à vera & salvifica fide reipsâ separari posse æstimando. At fides à virtutibus Christianis separata est mortua Jac. 2. 20. cum vera fides efficax sit per charitatem Gal. 5. 6. Unde qui non diligit fratrem suum non est ex Deo, sed est filius diaboli 1 Joh. 3. 9. 10.

de Electio-

ne.

Beccanus in
diss. de præ-
dest. Cathol.

de Pœni-
tentiâ.

Bell. lib. 1. de
Pœn. c. 8.

seqq.

§. 78. Electionem secundum merita bonorum operum, quæ Deus præviderit, factam esse, nugando. Contrâ: Ex Dei gratiâ & misericordia facta est Rom. 9. 16. c. 11. 6. Hinc vita æterna Dei donum dicitur. c. 6. 23.

§. 79. Ex Pœnitentia sacramentum propriè dictum faciendo. Sed hujus sententiæ vanitas facilè ostenditur, partim quòd Pœnitentia communis sit V. & N. T. partim etiam quòd externum & visibile elementum absit.

§. 80. Fi-

§. 80. Fidem in Christum pœnitentiæ veram esse partem
renuendo. Malè! Per hanc solam enim pœnitentiâ Petri (sa-
lutaris) à pœnitentiâ Judæ (exitiali) discernitur, perq; fidem
Deo appropinquamus, si credimus Apostolo Rom. 5. 2.

§. 81. Terrores conscientie à lege incussos partem pœni-
tentiæ esse pernegando. Contrarium verò colligitur ex Es. 66.
& exemplis sanctorum Davidis Psal. 6. 3. Manassis 2. Par. 33. 12.
Regis Ninivitarum Jon. 3. 6. publicani Luc. 18. 13. & D. Petri
Matth. 26. 75. Ib.

§. 82. Contritionem & extensivè & intensivè summam esse
posse tradendo. At cum neque peccata singula neque divinæ
iræ magnitudo perfectè & integrè à nobis cognoscantur Psal.
19. 13. Psal. 90. 11. quomodo perfectè, integrè & sufficienter
homo de illis dolere & conteri potest? l. 2. c. 11.

§. 83. Peccatorum singulorum enumerationem coram sa-
cerdote proprio de jure divino esse necessariam scribendo. Ab-
sonum! Cui libet enim cum Rege sanctissimo dicendum est:
Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, ex Psal. 19.
13. Et: iniquitates meæ transierunt super caput meum, ex
Psal. 38. 5. l. 3. c. 12.

§. 84. Vocem justificationis in art. Justif. forenssem signi-
ficationem habere negando. Contra: Vocabula opposita ha-
bent forenssem significationem, ut sunt accusatio & damnatio.
Rom. 5. 16. c. 8. 33. 34. Matth. 12. 37. 2. Cor. 3. 9. itemq; voca-
bula æquipollentia ex parte DEI, ut: non intrare in iudicium
Psal. 74. 2. non impurare delicta Rom. 4. 8. ex Ps. 32. 2. condo-
nare, Col. 2. 13. remittere Rom. 3. 25. & ex parte hominis, ut:
non venire in iudicium Joh. 3. 18. reconciliari 2. Cor. 5. 19. &c:
quæ omnia forenssem & judicialem significationem conti-
nent. l. 2. de justif. c. 3.

§. 85. Gratiam, quâ in Epistolis Apostolicis coram DEO ju-
stificari dicimur, habitum quendam hominibus in fasum esse
docendo. Contra: 1. Pighius l. 5. de lib. arb. citante B. Meisn.
in Anthr. disp. 11. pag. m. 11. commentitiam hanc acceptionem Ib.

C

vocat.

vocat: 2. illa gratia data est nobis ante tempora secularia.
2. Tim. 1. 9 3. justificatio, quæ Rom. 3. 24. Eph. 2. 8. gratiæ
DEI adscribitur, tribuitur misericordiæ Dei Psal. 51. 1. Matth.
18. 35. Rom. 9. 18. Item benignitati & humanitati Dei Tit. 3.
4. 5.

112. c. 2. seqq.

§. 86. Justitiam inhærentem propugnando & nos Christi
justitiâ nobis imputatâ coram Deo justificari inficiando. Con-
tra: Justificatio nostra consistit in imputatione fidei Rom. 4. 3.
& justitiæ v. 6. in remissione iniquitatum v. 7. & non imputa-
tione peccati v. 8. & 2. Cor. 5. 19. Ergò virtutes inhærentes non
justificant.

l. 1. c. 12. l. 2.
c. 2.

§. 87. Solâ fide nos justificari negando. Contra: Justifica-
mur per fidem sine operibus legis Rom. 3. v. 28. & non nisi per
fidem Gal. 2. 16. Ergò sola fide, ut ita rectè Germanicè reddat
B. Lutherus: *Alleine durch den Glauben*: quemadmodum etiam
Versio antiqua Italica Venetiis expressa, cujus exemplar ipse
vidi, hæc ipsa verba Pauli exclusivè reddidit. Adde quòd etiam
S. Patres particula exclusivâ in hoc negotio usi sint, ut videre
est apud B. Chemnitium tom. 2. L. L.

De Bonis
Operibus.
l. 4. c. 15.

§. 88. Opera justorum in hac vita perfectè bona esse posse,
ita ut nihil omninò vitii habeant, impudenter jaçtando. Con-
trâ verò ait Esaias: facti sumus, ut immundus, omnes nos, &
quasi pannus menstruatae omnes justitiæ nostræ c. 64. 6. An
verò plus fidei tribuamus Cardinali oppositum afferenti? Ab-
sit! Imò Deus (qui per Prophetam locutus est 2. Pet. 1. 21.) ve-
rax est, omnis autem homo mendax. Rom. 3. 4.

114. c. 7. §.
l. 5. c. 5.

§. 89. Bona opera non tantùm ratione præsentis sed etiam
efficientiæ ad salutem esse necessaria, adeoque vitæ æternæ
meritoria docendo. At vita æterna est *δῶρον* Eph. 2. 8. &
χαρισμα τῆς θεοῦ Rom. 6. 23. estq; adeò ex gratiâ Tit. 3. 5. Eph.
2. 8. quod si per gratiam, jam non ex operibus, ut rectè con-
cludit Apostolus Rom. 11. 6.

de Jejunio.
l. 2. de bon.
operib. c. 11.

§. 90. Jejunium satisfactorium esse pro peccatis & meritori-
um gratiæ divinæ præmiiq; cælestis nugando. In contrarium
autem

autem docet Apostolus passiones nostras non esse dignas futu-
râ gloriâ Rom. 8. 18. qui ergò meritoria esse possunt?

§. 91. Jejunium quadragesimale ab Apostolis institutum
esse prætendendo. *ἀπρον!* Contrarium enim docet D. Paulus
Col. 2. 16. 1. Cor. 10. 25. Rom. 14. 3.

§. 92. Rectam & devotam ministri intentionem ad inte- De Sacra-
gritatem & efficaciam sacramenti necessariò requiri sta- mentis.
tuendo. Malè! Sequeretur enim semper dubitandum esse
de veritate & efficaciâ sacramenti, quia nunquâm de intentio-
ne ministri absolutè certi esse possumus. Ut ergò defectus re-
ctæ intentionis virtutem prædicationis verbi Dei non impe-
dit Phil. 1. 18. ita nec absentia intentionis sacerdotis virtutem
& efficaciam divini sacramenti impedit.

§. 93. Baptismum in homine omne peccatum delere, ita l. 1. de Bap-
ut nihil amplius sit, quod ad culpam imputari queat, docendo. c. 13.
Sed si hoc verum esset; infantibus moriundum non esset, cum
stipendium peccati mors sit Rom. 6. v. ult. Et si dixerimus
peccatum non habemus, nos ipsos fallimus & veritas in nobis
non est 1. Joh. 1. 8. Et omnes peccatores sumus Rom. 3. 9.

§. 94. Transsubstantiationis figmentum defendendo. Sed l. 3. de Eu-
1. est novum dogma & ante Concil. Lateranense, quod sub In- char. c. 18. 19.
nocentio III. habitum pro dogmate fidei non habitum. 2. *ἀ-*
γερρον, teste Gabriel Biel. 3. *ἀντιγερρον*. Panis enim est
communicatio corporis Christi 1. Cor. 10. 16. Ergo non est con-
versum in corpus Christi.

§. 95. Panem Eucharistiæ consecratum religiosè adorando. l. 4. c. 29.
At nec Apostoli id fecisse leguntur, nec in sacris literis præcipi-
tur, sed potius, tanquàm species idololatriæ, sub generali
præcepto prohibetur.

§. 96. Laicis calicem subtrahendo. Malè! Omnibus enim c. 28.
communiter mandavit Christus, ut edant & bibant Matth. 26.
27. & Apostolus toti Ecclesiæ Corinthiæ tradit, ut edant &
bibant 1. Cor. 11. 23.

§. 97. Ex Conjugio sacramentum propriè dictum facien- De Conju-
do. Quod falsum esse patet, quia etiam hominibus in V. T. gio.
l. 1. de marr.
imo c. 28.

imò ipsis Ethnicis est commune, & promissione gratiæ Evan-
gelicæ destituitur. Et qui sacramentum esse potest, quod in
ipso Jure Canonico inter opera carnis recensetur?

c. 21. §. 98. Votum perpetuæ Castitatis matrimonii contractum
impedire docendo. Male! Est enim contra expressum Aposto-
li mandatum 1. Cor. 7. v. 2. 9.

c. 23. §. 99. Matrimonium fidelis cum infideli irritum pronun-
ciando. Contrarium docet Christus Matth. 5. 32. c. 19. v. 9.
& Apostolus 1. Cor. 7. v. 12. 13.

c. 15. 16. §. 100. Fornicationem matrimonii consummati vinculum
solvere inficiando. Quam sententiam rectè rejecit Cajeta-
nus in loc. Matth. 19. 9. ex quo etiam nostræ sententiæ
veritas facile colligitur.

Soli DEO Gloria.




05 A 432

ULB Halle 3
004 208 82X


UD AA







Controversiarum Theologicarum
CENTURIA,

Pontificiis, imprimis Bellarmi-
no, opposita,

Quam
Altissimo adjuvante,
SUB PRÆSIDIO
Viri plurimum Reverendi, Clarissimi atq[ue]
Excellentissimi,

D N. WILHELMI LYSERI,
Sacrosanct. Theol. Doct. & Prof. publ. celeberrimi,
Præceptoris, Inspectoris & Promotoris sui
summè observandi

Publicæ ventilationi subjicit
M. MARTINUS CASELIUS, Bergwicens.
Alumn. Elect. Sax.

In Auditorio majori
D. II. April. Horis à 7. matut.



VVITTEBERGÆ,
Ex Officinâ Typogr. AMBROSII ROTH I, Acad. Typogr.
ANNO M DC XXXIII.

